ANALECTA.

LXXXVIII. Thucydides III 82 *καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρεία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς δειλία εὐπρεπής. τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα, καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν ἐπὶ πᾶν ἀργόν. τὸ δ' ἐμπλήκτως ὀξὺ ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετέθη, ἀσφάλεια δὲ τὸ ἐπιβουλεύσασθαι, ἀποτροπῆς πρόφασις εὔλογος.* mendum in his est, sed valde antiquum. nam *ἀσφάλεια* in omnibus libris est, nisi quod ex altero Monacensium *ἀσφαλείᾳ* Bekkerus enotavit. dativum interpretatur scholiastes, sed inepte, *τὸ ἐπιπολὺ βουλεύσασθαι δι' ἀσφάλειαν πρόφασις ἀποτροπῆς ἐνομίζετο.* Dionysius Halicarnassensis Thucydidis verba bis attulit, t. V p. 888 et 954: scribitur utrobique *ἀσφάλεια.* dativum requirit oratio, suspensum non minus quam *ἀνδρὸς μοίρᾳ* ex *προσετέθη.* verum non satis est scribere *ἀσφαλείᾳ*, quod Sylburgio aliisque placuit. necessariam enim esse ignominiosam prudentis deliberationis adpellationem, oppositam illam specioso praecipitis temeritatis nomini, tota sententiae coacervatis antithetis repetitae ratio et forma demonstrat, neque *ἐπιβουλεύσασθαι* aliud hic significat quam deliberationem, quacum cunctatio coniuncta est: activum *ἐπιβουλεύειν* deliberandi significatione Thucydides alibi dixit. quaerendum autem videtur esse verbum rarius quodque tempore iam antiquo fallere facile potuerit idemque mendosis litteris sit quam simillimum. quale verbum reciperari mihi videtur dempta una littera. suspicor enim scribendum esse *τὸ δ' ἐμπλήκτως ὀξὺ ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετέθη, ἀσαλείᾳ δὲ τὸ ἐπιβουλεύσασθαι, ἀποτροπῆς πρόφασις εὔλογος.* sic dicitur neglegentiae agendarumque rerum incuriae attributa esse cunctatio deliberantis. Etym. p. 151 46 *ἀσαλής, ἡ ἄφροντις, ἡ*

μηδενὸς φροντίζουσα· σάλη γὰρ ἡ φροντίς. ἀσαλής, ὁ ἀμέριμνος. Αἰσχύλος "ἀσαλὴς μανία". οὕτως Ἡρωδιανὸς καὶ Ἀπολλόδωρος. Hesychius *ἀσάλειν* (immo *ἀσαλεῖν*), *ἀφροντισθῆναι· σάλα γὰρ ἡ φροντίς.* conf. Dind. Thes. Steph. t. I p. 2144 et t. VII p. 41. quae Hesychius habet *ἀσάλγαν, ὕβριν, ἀμέλειαν, τὴν πενίαν,* in eis *ἀμέλειαν* sane ad *ἀσάλειαν* pertinere videtur, reliqua fortasse olim alio pertinuerunt sic scripta, *ἀσέλγειαν, ὕβριν, τὴν πορνείαν,* et *πορνείαν* quidem iam aliis in mentem venit. *ἀσαλείας* autem vocabulum Attico sermoni tribui posse videtur propter Aeschyleum illud adiectivum, neque defugit Thucydides verba quae poetarum magis quam scriptorum oratio retinebat. quod Sophronis *ἀσαλέαν* grammaticus conmemoravit, Thucydidem praeteriit, eo minus mirabimur quo antiquiore tempore Thucydidis *ἀσαλείᾳ* videtur esse oblitteratum.

LXXXIX. Theophrastus qui dicitur Characterum cap. 21 *μικροφιλότιμον* ita describit, *τοιοῦτός τις οἷος — καὶ ἀποδιδοὺς μνᾶν ἀργυρίου καινὸν ποιῆσαι ἀποδοῦναι.* Casaubono debetur *ἀποδιδούς*, pro quo *ἀποδοὺς* scriptum erat. quae esset ineptae ostentationis species inde a Sylburgio plerique intellexerunt. nimirum homuncio gloriolae cupidus cum minam solvit novos nummos exhibet, quod putat esse magnificentius: neque dubitari potest quin *καινὸν ἀργύριον* intellegendum sit. sed *ποιῆσαι* nihili est, neque quicquam prodest Pauwii *ποιήσας*. delendum est verbum ex proximis male huc inlatum. secuntur enim haec, *καὶ κολοιῷ δὲ ἔνδον τρεφομένῳ δεινὸς κλιμάκιον πρίασθαι καὶ ἀσπίδιον χαλκοῦν ποιῆσαι, ὃ ἔχων ἐπὶ τοῦ κλιμακίου ὁ κολοιὸς πηδήσεται.* Ussingius haec adscripsit, 'graculum in cavea habens, ut multi, scalam aeneam immittit avemque clipeolo aeneo munit, ut adscendens et descendens strepitum faciat, quo hominum animos advertat.' finxit et aeneam scalam et advertentem illum hominum animos strepitum. ineptus est ille *μικροφιλότιμος*, sed non tam ineptus ut eo gloriolam quaerat quod graculum alit: immo ipso illo scalarum et scutuli adparatu, utpote scita re et ingeniosa, stolide gloriatur. hodie non nulli ex acanthidum aliarumque avium caveis aquaria vascula catenulis suspendunt, quibus sensim attractis misellae sitim extinguunt. aviculam scutatam conspici in vasculo de quo Otto Iahnius nuper eleganter scripsit (*Bemalte vasen mit goldschmuck* p. 2) alias dixi. paullo postea haec leguntur, *καὶ κυναρίου δὲ Μελιταίου τελευτήσαντος αὐτῷ μνῆμα καὶ στηλίδιον ποιήσας ἐπιγράψαι Κλάδος Μελιταῖος.*

Toupius Emend. in Suidam t. II p. 129 negavit ferri posse *κλάδος* scribique audacter iussit *καλὸς Μελιταῖος*. id tam insulsum est ut valde mirer non nullis placere potuisse. nam notissimum illud *ὁ δεῖνα καλός* non pertinet ad sepulcri titulum, quod autem Toupius ex Iamblichi Babylonicis adfert *ἐνθάδε κατάκειται Σινωνὶς ἡ καλή*, id diversissimum est. deinde mirum est vel potius ineptum non addi nomen catelli, sed dici tantum Melitaeum. contra *Κλάδος* canis nomen non magis mirum est quam nomen meretricis *Κλωνάριον* apud Lucianum Dial. mer. v. pergit scriptor sic, *καὶ ἀναθεὶς δακτύλιον χαλκοῦν ἐν τῷ Ἀσκληπιείῳ τοῦτον ἐκτρίβειν στεφανοῦντα ἀλείφειν ὁσημέραι.* absurdum est et forma etiam orationis vitiosum *στεφανοῦντα*, neque multo melius nuper scriptum est *στεφανῶν.* quomodo enim anulus coronabitur? non morabuntur nos vani conatus emendandi. sed Meinekius cum scribendum esse coniecit *τοῦτον ἐκτρίβειν ἐς τὸ γανοῦν καὶ ἀλείφειν ὁσημέραι* partem veri adsecutus esse mihi videtur. suspicor enim scribendum esse *τοῦτον ἐκτρίβειν στέατι γανῶν τε κἀλείφων ὁσημέραι.* sebum inlitum arcet aeruginem.

XC. In Plauti Persa v. 514 Ritschelius Toxili verba ita scripsit,

tace, stultiloque: nescis quid te instet boni.
nequiquam tibi Fortuna faculam lucrifica adlucere volt.

libri partim *lucrificam* habent, partim *lucificam*, recte autem Ritschelius *lucrifica* scripsit: respondet enim Toxilo Dordalus *quae istaec lucrificast Fortuna?* addit Ritschelius versum iambicum se nesciisse convertere in trochaicum. nimirum medius est ille versus inter quadratos. sed praeter numeros sententia etiam displicet. Dordalus perlecta priore commenticiae epistulae parte dixit *quid id ad me aut meam rem refert Persae quid rerum gerant aut quid erus tuus?* itaque recte Toxilus respondet *tace, stultiloque: nescis quid te instet boni* posteaque addit *set ut occepisti ex tabellis nosce rem*, illud autem nimium est et minime aptum quod nequiquam lenoni lucrum a Fortuna ostendi dicitur. sed praesto est emendatio. quippe ipse Ritschelius docet in Ambrosiano libro non *nequiquam* scriptum esse, sed *nequequam.* reddendum igitur Plauto hoc est,

tace, stultiloque: nescis quid te instet boni
neque quam tibi Fortuna faculam lucrifica adlucere volt.

subiunctivum cum indicativo coniunctum non abhorrere a vetusto sermone constat: veluti Terentius ita loquitur in Andria IV 1 25, *a*,

nescis, quantis in malis vorser miser Quantasque hic consiliis mihi conflavit sollicitudines Meus carnufex.

XCI. Cicero ad Atticum IX 11 4 *tuas litteras iam desidero. post fugam nostram numquam iam nostrum earum intervallum fuit.* absurdum illud *iam nostrum* nondum probabiliter emendatum est. praetereo nugas quae nuper prolatae sunt. Lambinus docti hominis coniecturam attulit, *tam longum.* non dubito quin eiusmodi quid restituendum sit: nihil autem latet aliud quam *tam vastum.*

XCII. Nescio an aliis, mihi certe videtur tragicus versus latere in Ciceronis Ep. ad Quintum fratrem II 10 3. scribit Cicero *multa dixi in ignobilem regem, quibus totus est explosus: quo genere conmotus, ut dixi, Appius totum me amplexatur: nihil enim est facilius quam reliqua discutere. sed non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis hospitalis, Graios omnis convocet, per quos mecum in gratiam rediit.* tragicum est et numeris et sermone

inplorat fidem
Iovis hospitalis, Graios omnis convocat.

potuit id dici de Menelao.

XCIII. Ad Aetnae, carminis depravatissimi, emendationem saepe aliquid conferre studui, nunc alia depromam quae diutina eius pertractatione olim adsecutus sum. nam ut umquam totum carmen mea cura perpurgatum edere possim eo magis vereor quo saepius eius lectionem repeto. nimirum sublatis ex aliqua poematis parte vitiis manifestiora fieri solent alia, ut ὕδραν τέμνειν tibi videare. quam mendorum multitudinem mirum sane est fuisse qui subitario aliquot mensium studio se removere posse opinaretur. successerit hoc Bentleio: nobis, ut nunc sumus homines, paullo maiore utendum est et animi intentione et adsiduitate.

Inde a versu 209 leguntur obscura et partim absurda, neque tantum librarii peccarunt turpiter, sed docti etiam homines. fiunt autem omnia perspicua et recta si ita scribuntur.

omnes
exagitant venti turbas ac vertice saevo
in densum conlecta rotant volvuntque profundo.
hac causa expatiata ruunt incendia montis:
spiritus inflatu *momen languentibus* adfert.
nam prope nequitiae *par est violentia flammae:*
ingenium velox illi motusque perennis,
verum opus auxilium est ut pellat corpora, nullus

impetus est ipsi, qua spiritus imperat audet,
hic princeps magnusque, sub hoc duce militat ignis.

versu 210 *exagitant* habet Florentinus (F): *exigitur* Contabrigiensis (C). tum *ac* F: *a* C. versu 211 *collecta* F, *coniecta* C. versu 212 *hac causa expatiata ruunt* egregie Kootenus in Epitomen Iliadis p. 277: C *haec causa expectata ruunt*, F *haec causa expectanda terunt*, quod utrumque et ineptum est et ineptias peperit. versu 213 libri *spiritus inflatis nomen* habent: *momen* Scaliger restituit. rarius legitur Lucretianum illud verbum: quare adscribo versum Hilarii Pictaviensis in Genesi 33, *pigraque materies trepidavit momine pulsa.* in fine versus eiusdem libri habent *aer.* Iacobus cum scripsit *haec causa expectanda: terunt incendia montis, Spiritus ut flatu momen languentibus addat,* protulit, ut saepe alias, quae neque Latina sunt neque intellegi possunt. praetereo aliorum commenta. simplex est et perspicuum quod posui. versu 214 *flammae* F: in ceteris *semper* legitur, quo male expletus est versiculus postquam illud periit. antea F *nequicquam pars,* C *nequiquam par.* ne posterius quidem probandum erat. quod scripsi id ipsum praebet quod poeta dicere debuit, violentam videri flammam, sed re vera propemodum ignavam esse et mollem opusque habere inpulsore vento. ea est enim propria nequitiae significatio. Donatus in Terentii Adelphos III 3 4 *nequitia autem proprie libidinosa inertia dicta est, quod nihil queat nullique rei apta sit.* Cicero in Catilinam I § 29 *sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda?* antea § 4 similiter coniunxerat *inertiae nequitiaeque.* idem Cicero de fin. V § 26 dicit *inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia praeditos.* quod mox flammae ingenium velox motusque perennis tribuuntur, similiter a Seneca de ira II 19 1 ignis dicitur *actuosus et pertinax.* versu 217 *audit* habet C, *audet* verissime F. versu 218 *hinc* scriptum est in libris: scribendum esse *hic* ante multos annos dixi idemque Schraderus in quadam scheda adnotavit. mox C *magnosque sub hoc duce,* F *magnusque qui sub duce.* recte novicii quidam libri *magnusque, sub hoc duce.* neque enim scribendum est *magnoque sub hoc duce*, quo minuitur anaphorae elegantia.

Qui secuntur versus ita emendandi sunt,

nunc quoniam in promptu est operis natura solique,
unde ipsi venti, quae res incendia pascit,
cum subito cohibentur iners quae causa silenti,
subsequar. inmensus labor est, sed fertilis idem:

digna laboratis respondent praemia curis.
non oculis solum pecudum miranda tueri
more nec effusos in humum grave pascere corpus,
nosse fidem rerum dubiasque exquirere causas,
ingenium sacrare caputque attollere caelo,
scire quot et quae sint magno natalia mundo
principia, occasus metuunt an saecula pergunt
et firma aeterno religata est machina vinclo,
solis scire modum et quanto minor orbita lunaest,
haec brevior cur bis senos cita pervolet orbes,
annuus ille meet, quae certo sidera currant
ordine quaeve suis errent *incondita* gyris,
scire vices etiam signorum et tradita iura,
sex cum nocte rapi, totidem cum luce referri,
nubila cur Phatne caelo denuntiet imbres,
quo rubeat Phoebe, quo frater palleat igni,
tempora cur varient anni, ver, prima iuventa,
cur aestate perit, cur aestas ipsa senescit
autumnoque obrepit hiems et in orbe recurrit,
axem scire Helices et tristem nosse cometen,
Lucifer unde micet quave Hesperus, unde Bootes,
Saturni quae stella tenax, quae Martia pugnax,
quo rapiant nautae, quo sidere lintea pandant,
scire vices *maris et caeli praedicere cursus,*
quo voltu *Orion, quo Sirius excubet index,*
et quaecumque patent magno miracula mundo
non congesta pati nec acervo condita rerum,
sed manifesta notis certa disponere sede
singula, divina est animi ac iucunda voluptas.

non disputabo de omnibus quae aut ex libris sumpta sunt aut a doctis hominibus recte excogitata, multo minus errores et inepta commenta elevabo. versum 221 emendavit Fridericus Christianus Matthiae: C habet *cohibetur inest,* F *cohibetur iners.* versu 223 *laborantis* C et excerpta vetera Parisiensia: recte F *laboratis*, id est cum labore peractis. versu 225 *effusos* recte Wernsdorfius t. v p. 1473: *effusis* inepte CF, *effusus* excerpta. versu 232 CF *cursu bis senos pervolet* (*pervolat* F) *orbes*, excerpta *cur his senos cito provolet orbes:* verum adgnovit Wernsdorfius. versu 234 C *quaeve suo errent incondita cura*, F *quae suos servent incondita motus*, in quo emendandi

conatus deprehenditur. quod scripsi non indiget commendatione. versum 237 Fridericus Matthiae eximie correxit. habet F *nubila cur panope caelo.* cum *phatne* vel depravatum inde *panope* omissum esset, versus male conpletus est eo quod in C atque in excerptis scriptum est, *nubila cur caelo terris.* Panopes nomen ex Aeneide perperam inlatum est. versu 246 libri *scire vias maris* et sic etiam excerpta. sed vias maris inter illa mundi miracula poeta conmemorare non potuit: conmemoravit vices maris, id est ventorum quibus mare obnoxium est et navigatio aut impeditur aut adiuvatur tempora et vicissitudines. non minus inepte versu 247 C et excerpta *quo volet orion,* F *qua vocet orion.* scribendum est quod posui *quo* voltu *Orion, quo Sirius excubet index.* sic Manilius I 413 de canicula dicit, *sic movet ut vidit mundum vultuque gubernat.* recte vero F *excubet* praebet, inepte C *incubet*, excerpta *incubat.* Babrius fab. 124 15 *πῶς γνώσῃ Πότ᾽ ἐννυχεύει χρυσότοξος ᾽Ωρίων;* denique versu 248 rectissime Wassenberghius intellexit scribendum esse *patent:* nam *iacent*, quod libri habent, absonum est.

XCIV. Nonius p. 58 13 *Sisenna Hist. lib.* IIII '*C. Titinnius quidam, cui minus proprietas menis a natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit, deinde apud consulem causam atque excusationem praeferre coepit.*' videtur scribi posse *cui minus* sobria mens *a natura tradita videretur,* — proferre *coepit.*

Idem p. 202 18 *Atta in Epigrammatibus* '*praeterea tu sis desoluta* (*desulata, tesoluta*) *crine capillus.*' scribo

praeterea fusis *resoluta crine* capillis.

resoluta Mercerus.

Idem p. 220 31 *Laberius in Late loquente* '*qui pedem ex taberna tulimus tantus cum staret pluor.*' vereor ne *instaret* scribendum sit. cum saepe *i in hi his e* praemitterentur *s* inpuro, contrario vitio saepe omissa sunt. dixit de utraque re Lachmannus Lucr. p. 231, non nulla ipse protuli in commentatione de Seneca altera. in papyro Parisino saeculi quinti vel sexti (*Notices et extraits* t. XVIII 2 p. 126) scriptum est *iscio oiddam:* id est *scio οἶδα.* ex libro Wezzinbrunnensi saeculi noni ineuntis in Monumentis Boicis t. VII p. 374 haec proferuntur, *omnes precedentes mensure in corpore sunt, ut palmus pes passus et relique. sola pertica portatur* [*est x pedum*] *ad star calami in Ezechielo templum mensurantis.* memoratur *calamus mensurae* ab Ezechiele cap. 40. *ad star* est *ad instar.* falluntur qui litteras

illas ante *s* inpurum in Germanicis libris neque addi neque omitti putant.

Idem p. 542 13 *tapete, tegmen unite pictum de variis coloribus. Varro Hercule Socratico 'in omnibus rebus bonis cotidianis cubo in sardinianibus tapetibus.'* p. 539 7 *Varro Hercule Socratico 'cubo in sardinia ista pedibus clamida set purpurea amicula.'* in Nonii verbis Roepero, ut ait Philol. t. IX p. 236, accidit ut *unite* in *murice* mutandum esse coniceret. vellem scire quomodo tegmen murice pingi potuerit variis coloribus. scribendum est *mite,* quod antiquior et melior scriptor dixisset *molle.* locutus est tamen similiter Martialis IX 43, *hic qui dura sedens porrecto saxa leone Mitigat exiguo magnus in aere deus.* Varronis verba ita videntur scribenda esse, *in omnibus rebus bonis cotidiano* vivo, *cubo in Sardianis tapetibus, chlamydast purpurea amiculo.* ante *cubo* facillime omitti potuit *vivo.* Horatius Serm. II 6 96 *dum licet in rebus iucundis vive beatus.* dicuntur multa similiter. *cotidiano* et *Sardianis* scripsit Ruhnkenius Animadv. in Xen. Mem. II 1 30. postrema Oehlerus correxit. loquitur autem Voluptas Prodicia, quod non fugit Ruhnkenium. fuit qui nugari mallet.

XCV. Iulii Exuperantii opusculum primus edidit anno MDLXXXVIII Fridericus Sylburgius in Historiae Romanae scriptoribus, sumptum ex libro Pithoei, in quo additum erat Sallustii Catilinae et Iugurthae. is codex, quo denuo excusso libellum Conradus Bursianus nuper recognovit, sane non potest dubitari quin idem fuerit qui nunc in bibliotheca imperiali Parisiensi servatur numeroque est 6085. neque extare videtur aliud libelli vetus exemplar. sed diu ante Pithoeum et Sylburgium Exuperantii mentionem fecit Ioannes Doringus in epistulis duabus quas ad Ioachimum Vadianum scripsit. leguntur in Philologicarum epistolarum centuria ex bibliotheca Goldasti Lipsiae anno MDCLXXIV edita. servantur autem autographae in libro quodam Goldastiano bibliothecae Bremensis: unde paullo quam editae sunt adcuratius ante aliquot annos a me descriptas proferam.

Doringus Vadiano suo S. D. Lucius Exuperantius, quem coram iam vides, orator et facilis et argutus, plus satis apud malos quosdam custoditus, Iugurthinam historiam stilo admodum conciso et facili conscripsit. Equidem exemplar repperi, dum Basileae agerem, in coenobio illo praedicatorum, certe summae vetustatis, verum mutilum, adeo ut non nullis in locis vix literarum vestigia liceat deprehendere. Atqui id quidem non obstitit quin id libri omnis ad exemplar describerem, ita antiquitate delectatus, etiamsi utcunque adhuc doctus ac diligens. Tuum

nunc erit Exuperantium ita antiquitati restituere, ut recens iam natus Vadiano parente in lucem emergat, alioqui numquam emersurus. Vale. Herosoii XIII *calendarum Iunii. Doringus tui studio*s. (*Ioachimo Vadiano, poetae ac oratori longe facundissimo, viro incomparabili.*)

Doringus Vadiano suo S. D. Et de Sallustio et de Exuperantio plane tecum sentio, ut (hoc fortasse delendum) *uterque dictione eleganti pariter ac plane laconica historicus latinissimus. Porro vehementer abs te contendo, Exuperantium ne situ pereat studiosis omnibus impertias, quem adeo iam saeculum desyderabamus. Aut hoc si arrogantius, tuo arbitrio utitor et Doringum ama. bene vale. Herosoii* XII (sic scriptum) *calendis Iunii. Doringus tui studio*s. (*Ioachimo Vadiano, Poetae, oratori longe celeberrimo, amico in primis.*)

Scriptae esse videntur hae litterae circa annum MDXX: certe alias a Doringo ad Vadianum annis MDXIX et MDXXI scriptas idem liber Bremensis habet. est autem perquam veri simile codicem illum Basileensem postea adquisitum esse a Petro Pithoeo, quem Basileae biennium degisse constat. error enim et neglegentia esse videtur quod Lucium Exuperantium Doringus dicit, cum *Opusculum Iulii Exuperantii* scriptum sit in libro Parisino.

XCVI. Ambrosius Epist. I 53 8 *duos finitimos vetus historia describit, regem Achab et pauperem Nabuthen. quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? alter regali fulcro divitiarum praeditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit, alter despiciens animo βασιλέων τὰς πολυχρύσους τύχας imperialesque gazas suo erat contentus palmite.* non solet Ambrosius uti Graecis versibus, sed non potest dubitari ex carmine aliquo illud sumptum esse. versum, qui eiusmodi fuisse potest, *μισῶ βασιλέων τὰς πολυχρύσους τύχας*, expiscabuntur fortasse alii; ego frustra eum quaesivi.

XCVII. Hesychius *κάγκανον ὕλην, ξηρὰν ὕλην.* Isaacus Vossius propter ordinem litterarum (praecedit enim *κανίας*, sequitur *κάνναβις*) scribendum putavit *κάνκανον*. addit Mauricius Schmidtius 'e consequentia pro *ὕλην* malim *ὕλαν*. nam *κάνκανον* Tarentinorum est, ut *ἄνγαρος*.' nihil hic Tarentinum est, sed adgnoscimus, si *κάνκανον* scribendum est, neglegentiam cuius similia multa exempla, praecipue in conpositis vocibus, sed etiam extra conposita extant. *κανκανεῆς ὕλης* apud Manethonem IV 324 in codice scriptum est pro vero *καγκανέης*. illud autem *κάγκανον ὕλην* Gregorii Nazianzeni est carmine *κατὰ γυναικῶν καλλωπιζομένων* v. 107 (p. 570

Caill.), οἵ μήτ' ἐχθαίρουσι καὶ ὡς πυρὶ κάγκανον ὕλην Βάλλουσ' ἤν ἐρύειν λώιον ἠὲ φέρειν.

XCVIII. Seneca Suas. 1 p. 3 12 Burs. *quid agitis, commilitones. domitoremque generis humani, magnum Alexandrum, eo dimittitis quod adhuc quid sit dubitatur?* recte olim animadversum est *domitoremque* sic adiungi interrogationi *quid agitis* non potuisse, sed temere *regem* interposuerunt. scribendum est *quid agitis, conmilitones?* domitoremne *generis humani* etc.

Animadversum olim est vitium, sed non recte correctum p. 5 13. scriptum est in libro Bruxellensi *consulendum militi totius victoris lasso.* posuerunt *tot orbis victoriis lasso.* Schottus *totius* in *toties* mutandum esse putavit. scribendum est potius *consulendum militi* tot eius *victoriis lasso.* sermo est de Alexandro.

Controversiarum I 7 p. 101 7 haec adferuntur e declamatione Iulii Bassi, *duxi uxorem nimium fecundam. peperit mihi tria nescio quae prodigia variis generibus inter se et iudicia furentia, alium qui patriam posset opprimere, alium qui fratrem, alium qui patrem.* absonum est *inter se et iudicia furentia*, ubi *iuditia* scriptum est in libro Bruxellensi. excerpta habent *inter se et me furentia*, quod olim receptum est, quamquam et emendandi levem conatum prodit et non minus quam illud ineptum est. antiquum vitium tollendum esse puto emendatione specie quam re audaciore et quali in his libris saepe utendum est. scribo *prodigia variis generibus* internecivae saevitiae *furentia.*

Libro IX controversia 26 hoc argumentum habet, *per vim metumque* (sic recte excerpta) *gesta ne sint rata. pacta conventa legibus facta rata sint. expositum qui agnoverit solutis alimentis recipiat. quidam duos filios expositos sustulit educavit. quaerenti patri naturali pollicitus est se indicaturum ubi essent si sibi alterum ex illis dedisset. pactum interpositum est. reddit illi suos filios, repetit unum.* pag. 261 13 haec leguntur Albucii Sili, *una nati sunt, una expositi, una educati. distraxit illos fortuna aliquando a parentibus, numquam ab ipsis. miseremini, iudices: gravis indie iuua est.* sic postrema in libro Bruxellensi scripta sunt. nihili est quod olim inde fecerunt *gravis invidia est.* nulla autem potest esse dubitatio quin ita scribendum sit, *gravis* indiciva *est.* etsi enim scio in Glossariis Labbaei p. 90 [d] scriptum esse *indicina* μήνυτρον, tamen vereor ne *indiciva* vera et sola sit vocabuli forma. nam in Grammaticis Keilii t. I p. 553 22 liber Bobiensis, cui parendum erat, habet *indiciua* μήνυτρον. apud

Iulium Victorem p. 390 8 Halmii scriptum *indicivam.* apud Apuleium Met. vi 8 liber Florentinus habet *indiciuię nomine.* similiter in eo scriptum esse conicio vii 25: certe alii libri habent *indiciuiae praemium.* intellegebatur autem, opinor, primitus *pecunia indiciva.*

Pag. 310 15 valde miror potuisse non adgnosci versus Homericos Od. xxiv 514 s. Il. vi 479.

XCIX. In Thebaide Statii vii 683 scribendum puto

arma fluunt longisque crepat singultibus aurum
eruptusque sinus vitiat *cruor.*

scribitur *vicit,* quod neque sententia neque temporis forma aptum est.

Versum viii 494 ita emendo,

tunc flavum Hypanin flavumque Politen
(*ille genas Phoebo, crinem hic pascebat Iaccho:*
flavus *uterque deus*) victisque *Hyperenora iungit*
conversumque fuga Damasum.

libri *saevus* habent et *victis.* sed saevitia Apollinis et Bacchi inepte conmemoratur, *flavus* ab ipsa sententia, quae aliter non conexa est, requiritur, neque oratio cohaeret nisi *victisque* scribimus.

C. Centenarium horum Analectorum numerum eo conplere volo ut eis quae disputavi non nulla adiciam et errores quosdam meos corrigam.

T. i p. 22 ubi de dulcedine dixi non debebam omittere quod Vegetius in Arte veterinaria iii 52 habet, *urigines etiam in pedibus cruribus unguibusque vel sub armis aliquando generantur, quas quidam dulcedines vocant: habent similitudinem scabiei.* idem v 14 4 *dulcedo sequitur et solutio ventris.* quam dulcedinem in Hippiatricis *ἐρεθισμὸν* dici Schneiderus adnotavit.

P. 24. Euripidis verba *ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ᾽ αἰθέρος ἱερᾶς* leguntur etiam in Etymologico Parisino Crameri Anecd. t. iv p. 98.

P. 27. *ποιητικὰς θύρας* Platonis tutantur etiam scriptor laudationis Demosthenis Luciano attributae cap. 5, *μὴ μανείην, ἔφη, ταῦτά γε, κἂν εἰ πολλῆς δεῖ τῆς μανίας ἐπὶ τὰς ποιητικὰς ἰοῦσι θύρας*, Choricius p. 3 Boiss., *τοιγαροῦν ἐπὶ μὲν θύρας ἧκε ποιητικὰς ἡλικίαν ἔχων ἣν οἱ τὰ πρῶτα παιδευόμενοι γράμματα*, idem p. 108, *βρέφος ἀνελομένη καὶ πρὸς ἡλικίαν ἤδη παιδεύεσθαι δυναμένην ἀνενεγκοῦσα παρὰ θύρας ἦγε ποιητικάς.*

P. 30. Statii versibus ex Thebaide addendum erat quod idem

dicit Silv. III 2 8, *proferte benigna Sidera et antennae gemino considite cornu, Oebalii fratres: vobis pontusque polusque Luceat, Iliacae longe nimbosa sororis Astra fugate, precor, totoque excludite caelo.*

P. 31. mendum animadvertere debebam in verbis illis Firmici, *quid velit ex se Scylla quidve Charybdis.* neque enim intellegi potest *ex se.* scribendum est *ecce:* qua voce in adferendis exemplis uti solent iuris periti, sed saepe etiam Firmicus similiter.

P. 44. falsum est quod dixi Hrabanum Maurum legisse Varronis libros de lingua Latina. erravi autem eo turpius quo diligentius Spengelius adnotaverat Priscianum ea quae Varro de vocabulis pecuniae signatae habet transtulisse in librum de figuris numerorum.

P. 399. si Euripidi recte tribui *εὐθήμονα,* pertinere eo potest quod Hesychius habet *εὐθήμονα, εὔθετον, εὐσχήμονα.*

P. 404. omittere debebam quae in fine dixi. confudi enim nescio quo pacto Rhenaugiam cum Augia.

T. II p. 333. *ἔφημεν* scriptum est apud Ammonium p. 67 Valck., apud Theodosium p. 62 Goettl.

M. HAUPT.